FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Franckesche Stiftungen zu Halle

Academiae Fridericianae Pro-Rector, Ioachimvs Lange, S. Theol. D. & Profess. Ordinar. Vna Cvm Directore, Cancellario Et Professoribvs Reliqvis ...

Lange, Joachim

Halae Magdebvrgicae, 1722

VD18 13484966

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-196072

Visual Library

Franckesche Stiftungen zu Halle

post Budd. meditationes, et Stiss. in Sirac.

1 Walch de incrementis stud. Th. id. Pauli isagoge
2. Breith. 3 vom progr. natal. t. nomine Stahlii. Antonii. I. S. Stryk. Sperlette. Ludewig.
Hofm. Thomasii. Bodini. Strykii iterum. I. H. Mich. Schneid. Frankii. Gundl. Wolfii
Langii. Böhmeri. C. B. Michaëlis. Alberti.
3 Programata pasch. nomine Stahlii. Antonii. Ludewig. Breith. Thom. Strykii. Schneid.
Hofm. Gundl. Wolf. Lango. I. H. Mich. C. B. Mich. Schneid. iterum
4. Progr. pentec. nomine Stahlii. Ant.
5. Progr. Helmstad. in festo Mich. et Witteb. in F. Mich.
6 Lips. in F. Reform.
7. I. H. Michaelis oratio ProRect.



41, E, 5.

46

ACADEMIAE FRIDERICIANAE

PRO-RECTOR,

IOACHIMVS Lange,

S. THEOL. D. & PROFESS. ORDINAR.

VNA CVM

DIRECTORE, CANCELLARIO, ET PROFESSORIBVS RELIQVIS CIVIBVS ACDEMICIS

PIAM FERIARVM, RESVRGENTIS CHRISTI MEMORIAE SACRARVM, CELEBRATIONEM COMMENDAT.

interprete
D. Paulo Antonio.

Franckesche Stiftungen zu Halle

Franckesche Stiftungen zu Halle

Decano D. P. Antonio

Decano D. P. Antonio

DUo ſunt, quæ nunquam non ob oculos haberi debent a nobis viatoribus quam exquiſitiſſime, Mors ſpiritualis & Vita ſpiritualis. Mors, inquam, quam ex lapſu contraximus, ut nunc omnes naſcamur abalienato animo a Vita Dei, immerſi peruerſis cupiditatibus, priuati luce & diuinis viribus: mortique e diametro oppoſita Vita diuina, abſque qua nulla cum vivo Deo noſtro communio, nullum cum ſpiritu Dei commercium. Quam ideo vitam ſolus Dei Filius Vnigenitus, miſertus noſtri, in adſumpta carne noſtra, pro ratione tanti mali tollendi, recuperauit nobis morte & reſurrectione ſua; conſtituto ſimul certo ſalutis ordine, in ipſa impetrata venia præteriti.

Inter duos hosce veluti polos vertitur vniuerſa menſura doctrinæ veræ & praxeos Chriſtianæ. Vtrumque niſi æqua ſemper lance ac juſta proportione expendatur, neque in doctrina neque in praxi ſibi conſtabit integritas.

Reperitur ſane unusquisque mortalium in medio quaſi poſitus, mortem inter & vitam illam, ita ut unguibus Satanæ ac prauæ concupiſcentiæ nemo ſubtrahere ſeſe queat

viribus propriis. Vicissim tamen nemo tam duris tenetur inferorum atque cupiditatum vinculis, quin admissis penes se viribus mortis atque resurrectionis Christi liberari ab illorum dominio possit, secundum præscriptum verbi diuini ordinem. Act. XXVI, 18--23. V, 31. XVII, 30. 31. XIII, 37--40. Luc. XV, 20. 21. 24. Apoc. V, 3. seq.

Nempe cum lege peccati ac mortis adeo constrictus sit homo lapsus, ut naturaliter iam non possit non ignorare simulque odisse ac repudiare vitam lucemque Dei; fit intercedente Christo, hujusque solius intuitu, vt lux denuo & viuifica virtus, vna cum remissione gratiosa & ipsius vitæ thesauris, ea offeratur cuivis efficaci ratione, ne non possit velle serio admittere amissæ vitæ remadia. Quæ si ita admittit, tum videt illa duo non sine horrore; & ineffabilem reatus sui miseriam, omnisque consilii extremam inopiam: & stupendam misericordiæ diuinæ magnitudinem, methodumque Dei, quam justa, quam sancta, quam seria, quam benigna sit; agnoscens pariter hac in luce noua, se ne admittere quidem potuisse gratiam sine gratia; ideoque se non habere, aut habiturum unquam, unde ipse de se ipso glorietur. Sin admittit minus, non habere se convincitur, quo incuset Deum, sed suam ipsius socordiam atque damnabilem proæresin.

Non permittit locus in præsentia exponere, quam variis ac mirabilibus modis obtinere tentet benignissimus sanctissimusque Pater, ut concepto huius vitæ peruersissimæ tædio oblatam meliorem adspiremus vitam. Unum vero est, quod nunc inprimis recolendum Vobis, o Nostri, commendamus, quam necesse sit ac salutare, utrumque (mortem scilicet & Vitam) in morte ac resurrectione D. N. I. C. in conspectu habere ex æquo, retinereque, quamdiu in hac peregrinatione commorari oportet.

Non

Non inuidemus ulli acceſſum ad reſurrectionis Dominicæ lætitiam, atque utinam eſſent quamplurimi, qui vellent, qui poſſent vere ἑορτάζειν, ut habet illud Apoſtolicum, *quia* & *πάσχα noſtrum mactatum eſt* pro nobis, 1. Cor. V, 7. 8. Expandit & oſtendit, qui vicit & reuixit Saluator, manus perfoſſas, pedes perfoſſos, latus apertum, prioris vitæ & crucis ſtigmata ſanctiſſima. Videtur is flentibus ac plorantibus, inter ſpem & metum hærentibus, Petro ac Thomæ laborantibus ſub lapſuum onere, Magdalenæ, ex qua eiecerat ſeptem dæmonia. Prædicari iubet in ſuo viventis nomine & *pœnitentiam* & *remiſſionem peccatorum* in omnes gentes: aperiens ſenſum ad intelligendas ſcripturas: claues afferens ad utrumque, ad ſoluendnm & retinendum in ſancto Spiritu. Luc. XXIV, 21. 40. 47. Ioh. XX, 23. 27.

Ipſa amplitudo corruptionis Adamicæ (triſtiſſima illa quidem) ſuggerit ὑποτύπωσιν (a contrario efformandam) eius, qui valuit debuitque eſſe novus Parens generis humani; id quod uberrime tradit Apoſtolus. Rom. V. 12--21. indeque in ſequentibus deſtruit deſperabundas quorundam cogitationes, ac ſi peccato nihilominus immanendum adhuc ſit; cum potius, ſi complantari velint *ſimilitudini mortis Chriſti*, ſimul & *reſurrectionis* compotes futuri ſint, ſicque *reputare* debeant maſcule, ſe *quidem mortuos eſſe peccato, viuentes autem Deo in* C. I. D.N. ut *mortificati* legi *per corpus Chriſti* (immolatum) ſint in connubio *alterius*, *qui ex mortuis reſurrexit*, ad fructificandum Deo. ib. c. VI. v. 1-5-8-13-19. c. VII. v. 3. 4. 25. c. VIII. v. 1-2--10. II. 29-34. Atque ſic undiquaque patet teſtimonii realis de reſuſcitatione Domini firma connexio, tanquam verbum fidei, quod prope eſt in ore & corde inuocantium, nec dicere opus habent in corde: quis aſcendet in cœlum? aut, quis deſcendet in abyſſon? c.

X. v. 6-9. 10. Sicque per communionem mortis Domini transitur ad certissimam communionem vitæ Dominicæ suauissimæ. Mortuus enim est Dominus pro nobis, ut culpa nostra infinito mortis suæ pretio expiata, imperium eriperet ei, cui se anima regendam in lapsu tradiderat. Ebr. II, 13. & nouæ iustitiæ vigorem in lucem produceret. 2. Tim. I, 10. Rom IV, 25. XIV, 7. 8. 9. Et quam vere Christum Mediatorem mori oportuit, & præstare præstanda, exantlare atque complere: tam vere eundem virtute istius lytri resurgere oportuisse ex mortuis, colligi debet; dependente sic una veritate ab altera: dependente etiam beneficio uno ab altero.

Neque opportuisset tamen Vadem in suscepta caussa nostra eo usque pervenire, ut post tot afflictiones, internas & externas, reuocatio ex ipsis mortis faucibus foret necessaria, nisi tanta extitisset in oculis diuinæ iustitiæ lapsus nostri magnitudo.

Monimentum hoc una cum iis, quæ iam adstructa sunt, retinemus omnes, non ad subruenda iterum solatia & beneficia, quæ resurrectioni Domini sunt propria, nedum ad eos, qui iam fuerint vere conuersi, sub seruili semper metu detinendos. Sed primum ideo, ne quis in exploratione sui, quæ tam necessaria est, mortem, a qua resurgendum fuit, sine vera sibi applicet pœnitentia, aut *obliuione* capiatur *purgationis peccatorum veterum*. 2. Petr. I, 3. 9. Deinde & apud piissimos recordatio lapsus necessaria in hac vita est ad sui custodiam munimentumque, ut sic ex continua *aspersione sanguinis* I. C. exsurgat permaneat certus usus resurrectionis, Dominicæ. Daß sie auch mit Wahrheit heissen mögen, beyde verstorbene und auferstandene Menschen. Luth. K. P. ost. f. 59. edit. Berol.

Mira

Mira emphasi ad sacramentalem usum noui testamenti ipsius translata hæc reperias in apol. Aug. Conf. quod *hæc simul coniuncta sint iuge sacrificium* N. T. *ut per euangelium asperſi sanguine Christi sanctificemur, mortificati ac viuificati. Et pietatis esse, conferre inter se magnitudinem beneficiorum Dei, & magnitudinem nostrorum malorum, mortis & peccati.* p. 260. 261. 268. 269. 377. sq. *æstimando hoc, si* VNVS pro *Omnibus demortuus est, ergo ii Omnes sunt demortui; & demortuus est pro omnibus, ut viuentes non amplius sibi ipsis viuant, sed ei, qui pro ipsis demortuus est, resuscitatus.* 2. Cor. V, 14. 15. Ecce! quam grauiter etiam hoc loco agatur de recte dispensando mortis & vitæ negotio. Eodem ex fundamento, in illa ad Ephesios epistola, Deus laudandus proponitur, *diues in misericordia, qui propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui lapsibus, conuiuificauit nos Christo* c. II, v. 1-3-5. Corinthiis vero fidelibus cum miscerent se nonnulli, quorum prauis de resurrectione colloquiis boni periclitabantur mores, quid Paulus? reuocat illis in memoriam, quam arcte alterum ex altero pendeat. Meretur accurate legi caput totum XV. prioris ad ipsos epistolæ. *Si Christus*, ait, *non resurrexit, estis etiamnum in peccatis vestris. Siquidem per* HOMINEM mors: *& per* HOMINEM *resurrectio mortuorum. Quo enim pacto in Adam omnes demoriuntur: ita & in Christo omnes viuificabuntur. Et quemadmodum portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis. Stimulus vero mortis* PECCATVM: potentia autem *peccati Lex.* GRATIA *soli sit Deo, danti nobis vincendi robur per* D. N. I. C.

Videte, O Nostri, quousque extendat sese argumenti nostri ἀναλογία atque consideratio. Quærite ergo Vitam ibi, ubi quærenda est. Discamus rebus omnibus pre-

pretium ſtatuere iuſtum, non ex guſtu noſtro corrupto, ſed ex diuini verbi perpetua ſententia. *Statutum eſt hominibus, ſemel mori poſt hoc autem iudicium.* Ebr. 9, 27. Cogitemus de ſpe ſolida beatæ reſurrectionis. *In hoc enim* (quod iterum dictum ſcriptumque volumus) *Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, ut* ET *mortuorum* ET *viuorum dominetur.* Rom. XIV, 9. *Qui amat vitam ſui ipſius,* αὐτῆ, *perdet eam. Et qui odit vitam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* Ioh. XII, 25. P.P. in Acad.

Frid. A. MDCCXXII. F. Paſch.

HALAE MAGDEBVRGICAE.

Typis JOH. CHRISTIANI HILLIGERI. Acad. Typogr.



Franckesche Stiftungen zu Halle

W018

Franckesche Stiftungen zu Halle

Franckesche Stiftungen zu Halle